

ORATIO EVANGELICA

D E

BELLIPO

TENTIS CHRISTI,
OMNIPOTENTIS HEROIS,

veri Dei hominis, prima recens
nati militari in terris
infantia.

HABITA PRO CHALENDA AD
per illustrem atque grauisimū almæ Eceles-
siæ Granatensis Senatum à Magistro Ceci-
lio de Leon & Quiros, insignis Collegij Theo-
logorum D. Catherinæ Rectore, & in
Granatensi Achademia Regente.

Anno Domini 1625.

*Impresso en Granada, en la Imprenta de
la Real Chancilleria, por Francisco
Heylan. Año de 1626.*

A P P R O B A T I O .



*Acultate tradita á Domi
 no Doctore D. Hieronymo
 de Montoya Canonico, &
 Scolastico huius alma Ec-
 clesia Granatensis, Proui-
 sore, & Vicario Generali huius diœcesis
 elaborato examine ad fidalem trutinam
 expendi presentem sermonem pro chalen-
 da ante diem natalem Christi Domini in
 Templo Metropolitano ad per illustre,
 & doctissimum illius capitulum habitũ
 á per docto, & erudito Magistro Cecilo
 de Leon & Quiros insignis Collegij Theo-
 logorum D. Catherinae collega, simul &
 nunc meritissimo Rectore, necnon Phi-
 losophia professore, & actu Regente cum
 pro meritis iam diu potuisset exactius
 Theologia Cathedram profiteri, quem
 dum audire attendi auditores omnes re-
 nerenti silentio, & in tactis labijs vene-
 rari, diuinarum sententiarum pondus,
 sublimitatem Styli, totumque orationis
 apparatus mirabiliter finem assumptũ
 conclu-*

concludentem. Deinde iterum legi, relegi
atque per legi, inuenique in toto decursu
non solum, non quidpiam esse fidei nostra
dissonum, aut rectis moribus discorde,
quin potius totum opus honestum esse
utile, & delectabile, adeo ut de eius auc-
tore dicit posset.

Omne tulit punctum qui miscuit
utile dulci.

Vnde iudico dignum esse, ut typis man-
detur, ut vel sic multorum ingenia in hoc
genere dicendi ardentius excitentur, &
adhuius exemplaris imitationem similes
queant panegyricos sermones in lucem
prodere. Datis 30. die Decembris, anno
Domini 1625.

Doctor Ioannes
Ximenez Romero.

L I C E N C I A.




EL Doctor don Geronimo de Montoya, Maestro escuela desta santa Iglesia, Prouisor, Iuez, oficial, y Vicario General deste Arçobispado por su Señoria Illustrissima el S. D. Galceran Albanel Arçobispo de Granada, del Consejo de su Magestad, &c. doy licencia a qualquiera impressor desta ciudad, para que imprima esta Calenda que predicô el Maestro Cecilio de Leon, Colegial y Rector del Colegio de Santa Catalina de los Teologos desta ciudad, en esta santa Iglesia. Dada en Granada a primero dia del mes de Enero de mil y seyscientos y veinte y seys años.

El D. Montoya.


Por su mandado.

Iuan Rodriguez Notario.



F. Heylan belga. Antwerp. f. uicib. D.

ILLVSTRISSIMO, ET
Religiosissimo Principi D. D. Galce-
rando Albanello, Archiepiscopo Gra-
natensi Hispaniarum Regis Philippi
Quarti Magistro, & à Con-
silijs, &c.





LE S ille supernus (Illustrissimè Prin-
ceps) Christum, vt recens natum nū-
tiaret letabundus cōuocato cælitum
choro nullum orbis Principem, pri-
matem sæculi nullum, Pastores tan-

tummodò adit *custodientes vigilias noctis super gre-
gem suum*, dulcissimamque docta manu cytharam
pulsat, numerosa harmonia aures demulcet, sua-
uissimamque grauem æquè, & elegantem de tanto
miraculo cantilenam canorus modulatur: *Gloria in
excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona volūtatibus.*

Luca 2.

In Bethemiticis pastoribus Monarchiæ Ecclesiæ
ticæ Principes, Apostolos nempe, & Episcopos, qui-
bus sicut strictiori iure mysterij cuiusque incumbit
notitia, sic & à Deo altissimo consilio prouideretur,
figuratos autumarunt Origenes, Ambrosius, Euthy-
mius, & alij. Ego & si nec natura, nec ingenio offi-
cio tamen Angelus, nuntius primatisæculi nulli, tibi
tantummodò vigilantissimo Ecclesiæ Granatensis
supremo Pastori, Archimandritæ per vigili, qui su-
per gregem tibi diuinitus cōmissum nullas non agis
extubias, Christum recens natum cantito lætabun-
dus, nec non & tui gregis, Christo infante in dæmo-
nes lupos furente, securâ pacem annuntio. Nil Chris-
to nascente dulcius, nil sanè tuis auribus potuit reso-
nare iucundius, *Hodie enim* (teste Chrysologo) *pas-
tores Ecclesia in securitate, hæretici in perurbatione
sunt, hodie oues Domini in tuto, & lupi in sanium.*

Apud Cardinal.
Tolet. Luca 2. an-
nuntiatione 14.

Accipe ergo (Sapientissimè Archipresul) innu-
meris beneficiis debitum, & si nō æqualè, quod pos-
sum, grati animi obsequium, studijque laboris pri-
mitias, primogenitum ingenij factum, qui tunc scæ-
liffissimus, quando tibi aliquantulum gratus. Vale.

Chrysolocus, ser.
149. qui est de
Natiuitate Chris-
ti, & Saueriano
Episcopo tribui so-
let.

M. Cecilius de Leon & Quiros Rector.

Voca nomen eius, velociter spolia detrahe, festina pradari, quia antequam sciat puer vocare patrem, & matrem auferetur fortitudo Damasci. Ex Isa. Vaticinio, cap.8.

Genes.28.

Chrysologus, sermone de Purificatione.

Psalm.143.

Ezech.cap.1.

Genes.28.

1. Corinth.12.

Apocalyps.21.



IVINA mysteria Christi præteritum cælo ipso, velut pulchro designari hieroglyphico gradus illi scandentes prædicant, quos somno captus Iacobus aspectabat. Nitore scrutari mysterium, quod Chrysologo omnium existit in vestigabilius. Multos audio audaciter tribuentes hanc in quam intendo, vel cæli ipsius parua manu contrestatione. Viderint obsecro descendente in terras Christum, cælum ipsum in terras inclinasse, cælorum gloriam in terras asportasse, ita ut iam Christo in terris nato parua manu cælum contingere liceat, Quod suspicor indicasse Phalmo-graphum regium, dum Psalm.143. sic clamat: *Inclina cælos tuos, & descende.* Quia Christo nato cæli ipsius ingressus, mysteriorum vestigatio facilis. Antiqui patres cælos cælorum ve portam à longè prospectarunt: vel videt Ezechiel Augustam mysteriosam onustam quadrigam è cælo rotantem, vel Iacobus aspectat cælos apertos, Angelosque ascendentes & descendentes, Christo vero in terris nato Paulus cælum ingressus cæli proximus scrutatur mysteria, clamatque se prorsus ignorare, an corpore, an extra corpus cælum super scanderit, Christo nato omnè triumphantis, atque cælestis Hierosolymæ gloriæ in

in terris Ioannes intueretur, Christo nato omnem Angelorum, siue Deo adstantium, siue ministrantium, vt deinceps ostendam in terris Hierarchiam intueri licet, videre licet in terris stellam e propria cœlesti sede, vt aliqui opinantur, ebullam, sole ipso splendidiorem, vt voluit Chrysofostomus, Magos Reges cōducentem. Quinimō, & solem ipsum, visibilem cœlorum gloriam, atque maiestatem anticipato descendit in terram prius propter Christum nasciturum exornasse, deinceps infixam, quam totius pater splendor tenet, cœli sedem translatum, sensit Anastasius Sinaita, qui hanc ad rem nostram subdit rationem: *Tanquam si terra ante cœlum ditata sit Christi descensu, & Aduentu*, videlicet, quia prius terra Christum erat susceptura nascentem, quàm cœlum eundem resurgentem.

Luca 2.

Mathei 2.

*Chrysofostomus
hom. 6. in Mat
thæum, paulo
post initium.*

*Anastasius Si-
naita, lib. 4.
Exameron.*

- Huius cœlorum glorię, Christo nascente in terras omninō translata Deipara ipsa in Christi Domini ortu perfectē beatissima, testis existit: etenim Virginem matrem in suo ipso fœlici partus exitu ad supernaturalem Dei visionem, qua beati in cœlis perfruuntur, supernē euectam credidit Vbertinus Cassilius. Ego quidem id clamantem subaudio mulierem illam tantę beatitudinis pręnuntiam, dum non solū beatum ventrem, sed & beata vbera ausculto prædicantem: *Beatus venter qui te portauit, & vbera, que suxisti*, quasi in Christo Domino pariēdo, vberibusque lactando, perfectē beata exiterit Virgo sacra-
ta. Mater ergo Dei, verē modō mater agnitionis beatificę tantę in partu mysteriorum notitię diffunde, diffunde riuulum, dum non solum in partu gratia plenam, sed & gloria plenissimam salutamur: *Maria gratia plena, &c.*

*Vbertinus Cas-
silius ap. Suan-
rez 3. part. 10.
2. dis. 19. sect. 4.*

Luca 11.

*Mater agni-
tionis Eccle-
siasticę. 24.*

Voca nomen eius velociter spolia detrahe, festina pradari, quia antequam sciat puer vocare patrem, & matrem auferetur fortitudo Damasci. Ex Isaia vaticinio. Cap. 8.



Sperbo elatus naturæ fastidit rursus in cælo supra modum Lucifer, Angelicæ naturæ terminum in diuinam superbientem concludere, aut capere minimè valent futurum nempe Christum verum Deum hominem sibi reuelatum in domita renuit ceruice re-

uereri, contra infalibile Sanctissimè Triados decretum de humana natura super exaltanda, ipse decernere non erubescit, Angelicam ipsius naturam, non humanam, in verè diuinum per hypostaticam vnionem nititur fastigium prouehendam. Sed non impunis, cõducto enim cælestis militiæ exercitu Michael Christi futuri vexillum attollit, eundem verum Deum hominem, hominum, & Angelorum conclamat Regem, cuius virtute sicut gratiam acceperat, ita & seruientem hostem, nec non & numerosam sectantium factiosè cateruam ex Olympo deturbat.

Apocalyps. 12.

Se in terra, quia descendit diabolus habens iram magnam. Quem Deus, & Angeli eius in cælo honorem cuiusque diuinitatis Lucifero denegarunt, ab hominibus sibi in terris, non Deo mouere exultandum, adhuc cælo ex terminatus diuinitatem toto animo ambit, vniuersum terrarum turbauerat, exagitat orbem, Deam haberi, & adorari cupiens,

iterum

iterum atque iterum arrogans, cunctas & si remotif-
simos terminos inhabitantes gentes sub sua ditione
subiugat imperiosus; fictæ diuinitatis thronum Ro-
mæ figit Augustum; Orbis primò, seducit fraudulē-
tus Mètropolim, quæ omnem animum, & potentiã
in illud impendit, vt vbique terrarum cultus vigeat
idollorũ; gentibus in Appolline dat verba verba fa-
ciens, quæ coniectari potuit, prædicit in Ioue futu-
ra; longe latèque loquacium numinum profeminat
ingentibus cultum. Lucifero iam in Deum promo-
to uideas (proh dolor) uideas homines in belluina
flagitia, in horrenda libidinum monstra, in detestan-
da omnium vitiorum portenta degenerantes, sub
miserãda peccati, mortis, dæmoniaci nempe Impe-
rij calamitate, atque tyranide detentas; uideas iam
gentes adeo in ficta numina adoranda procliues, vt
verum Deum ipsius nempe honorem, & cultum te-
rræ prorsus expulerint.

*Dare verba,
Idè quod ver-
bis se ducere.*

In Luciferum ergo Christi, & humanæ salutis
acerrimum hostem sub media silentis noctis con-
densa caligine Christus infans recens natus occul-
to stratagemate, secreto Marte eius confracturus
potentiam subactus Imperium in Bethleemitico
diuersorio parat insidias. Enim verò opportuissè vi-
detur, vt qui deo verus Deus homine indutus terras
contingit, vt dæmoniacum disturber Imperium, sta-
tim natus, vbi primum Orbem ingreditur, primum
aduersus Luciferum aggrediatur bellum, quod myf-
ticam de eodem, ac de gentilitate victoriam post
mortem plenè, & planè obtinendam cum præsig-
nauerit, tum inchoauerit.

Et quidem, cum huius nostræ per Christum libe-
rationis ratio, ac de Lucifero victoria in quacumq;

Christi Domini operatione, huiusque infinita potētia atque valore resideat, altissimo cōsilio hanc decreuit semel potentiam, atque operationum valorē valido aliquo externo indicare signo, simulque ostendere, non modò mortem, verum, & quodcumq; illius opus hac pollere virtute, atque potentia, etiā de facto pater æternus nullum ad redimendum, nisi in ordine ad mortem acceptauerit, cui propterea sacra pagina, Sanctique Patres nostræ liberationis rationem adscribunt.

In nulla ergo occasione huiusmodi cuiuscumque operis valorem, atque potentiam ostendi congruebat, quam dum omnino puer, imbecillis, omni corporali potentia destitutus vagiebat; quoniā sub nulla Christi operatione infinita potentia ad dæmoniacū disturbandum Imperium, nosque redimendos latuit occultior, quā sub puerilis vagitus, tenerrimæ lachrymæ imbecillitate tenerrimū. Propterea Christū recens natum intueor sub noctis caligine aduersus Luciferum occulto Marte, hoc est, potentia imbecillitate obnubilata insidias parantem.

Isaiæ 8.

Hac, vt opinor, altissima simul, & profundissima Theologia altè simul & profundè eruditus Isaias Christū tenerrimum infantē recens natū in præsepio vagientē, eundē strenuissimū ducē armis instructū, ad arma conuocantē, de bellico apparatu providentē, tenero Lacerto, hasta tamē vibrāti furentē, gentiū spolia capientē, dæmoniacū exercitū prosligantē, illius potentiā, atq; virtutem superantē, Luciferi fraudulentiam deludentē, gētilitatis munitiones destruentē, propugnacula euertentē, muros prosternentē, munitissimā gemiū arcem maiestate, & gloria opulentā, Imperio victorijs superstantē Romā ethnicam expugnantē, vastā mundi molē, tellurē, pontū, polū,

præanimositate, præ potentia canit treme facie. nē:
Voca nomen eius velociter spolia detrahe, festina præ-
dari, quia antequam sciat puer vocare patrem, & ma-
trēm auferetur fortitudo Damasci.

Huius Prophetici sensus maiestatem, granditatem, pō-
dus, atq; mysteriū illud, mea quidē sententia, pro mo-
uere queit, quod vbi Sacra pagina Christi prædicat
perspicuē, atq; distinctē Natiuitatē, ibidē, vt diligē-
ti examine, assiduo studio obseruare potui, armorū
strepitū, buccinarū clāgorē licet sub audire bellicū.

Canit Isaias, c. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filiū, Isai. cap. 7.
& vocabitur nomen eius Emanuel. Hic videre licet

Syriæ, & Israelis Reges numerosas gentium copias
conducentes Achaz Regem opprimentes, Ieroso-
limamque iam penitus euerrentes, qua occasione in
signum reportandæ proculdubio victoriæ Isaias Pe-
gi Achaz Christum Deo iubente prædicat infantem,
quasi, vt opinor diceret: qui ergo recens natus Ema-
nuel adhuc paruulus, atque imbecillis elatos hostes
omnino prosterneat, tibi imbecilli aduersus minaces
copias impertiri valet sine dubio virtutem.

Recinit, c. 9. Paruulus enim natus est nobis, & filius Isaiæ 9.
datus est nobis. Cuius rei causam hic exprimat prædi-

cant præcedentia, *scepterū exactoris eius superasti, sicut*
in die Madian. Quæ apertē resonāt bellū, plauduntq;
Christi infantis victoriā, nec nō, & pulchra allusione
Gedeonis illā respiciunt celeberrimam, quā inermis *Iudic. 7,*
omnino trecetorū militū copia ipto duce inter me-
dias noctis tenebras innumeros perterrefaciēs Ma-
dianitas gloriosē reportauit, quæ sine dubio hęc not-
rā nostri infantis præfigurasse videtur, præfertim, cū
Deus Gedeoni inimici castra exploraturo sic præci-
piat: *Sin autem ire solus formidas, descendat tecum* *Supra no. 11.*
Pharis

Phara puer suus, quo puero Phara, hoc est disipante, comite in aduersarij descendit castra, atque tentoria non pavidus, vt & sic infantis in medijs tenebris recens nati victoriam in Gedeonis illa exprimi patefieret. Hanc inuat per venustam allusionem, quod ipse simul cum puero sub noctis umbra inimicis sensim ac pedetentim immixtus auscultat attentè, militem nempè militi somnium reuelantem, se scilicet, vidisse panem in castra Madiam descendisse, tabernaculumque subuertisse, respondit is, cui loquebatur, non est, hoc aliud, nisi gladius Gedeonis. Quod si Bethlem domus panis interpretatur, non video quid ad Christi infantis ex Bethlemirico diuersorio demoniorum castra adhuc imbecillis expugnantis præligmandam victoriam aptius excogitari potuerit.

Sup. num. 13.

Bethlem domus panis.

Mich. cap. 5.

Matth. cap. 2.

Mich. cap. 9.

Sup. num. 10.

Præcit Michæas, cap. 5. *Et tu Bethlem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Quæ verba sic Iudæi recitant, aut, vt mihi cum alijs placet, exponunt Matth. cap. 2. Et tu Bethlem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iudæ, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Vbi ducis nomen, quod Christo infanti in Bethlem imponitur bellicū est, exiet dux, quoniam in ipso exitu statim natus se ducem ostendet. Subdit Michæas: Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt. Minatur deinceps munitiones, prælidia, idolla demolituri: Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas, & perdam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te, & perire faciam sculptilia tua, & statuas de medio tui, & non adorabis ultra opera manuum tuarum, &c. Quæ omnino Christi ducis*

ducis in Bethlehemitico diuersorio militantis de idolis resonant triumphum, præsertim cum diuinationes prædicent cessaturas, quod Christo infanti hæc nocte tenerrimo proprius, quam alio in tempore tribuendum sequutura monstrabunt.

Modulatur Habac. cap. suo 3. suo ve illo celeberrimo cantico: *In medio duorum animalium cognosceris.* Sic enim, & vertunt LXX. & legit Agust. de Ciuitate lib. 18. cap. 32. Sanctusque Prosper, lib. de diuin. prædict. part. 3. cap. 5. de Christo infante in stabulo iacente intelligit, constat autem, totum hoc canticum Christum plaudere victorem, Rei nostræ fauet, si dicta memoria tetineas, illa ad Gedeonis victoriam allusio, *turbabuntur pelles terra Madian*, vbi prostrata Madianitarum tentoria, ac tabernacula respicit vates, tum illud iuuat: *Egresus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Quæ verba eum videntur libenter capere sensum, vt Deum inducant primò vniuersum in Christo recens nato ingredientem, in primoque ingressu hostes per Christum, vt suum populum pius saluaret, debellantem.

*Habacuc. 3.
Septuaginta.
D. Augustinus.
D. Prosper.*

*Habacuc. 3. v. 7.
S. num. 13.*

Quid ergo abstrusi lateret mysterij sub repetito atque indefesso bellici conflictus strepitu, armoniq; fragore dum Christi vaticinijs Natiuitas prædicatur, nisi eundem sub infantilibus, atque tenerrimis membris inaccessam fortitudinem obuelasse, sub puerili imbecillitate inconcusam animositatem obnubuisse, vtpote qui recens natus statim, ac terras contingit belliger aduersus daemonicum insurgit imperium.

Sanctorum Patrum testimonijs id ipsum illustre Tertullianus lib. *contra Iudeos*, Christi infantis eiusdem strenuissimi ducis, *daos, cap. 9.* et si

Secundum di- et si ex aliorum sententia perbeilla sane descriptio,
uisionem Pa- dum nostrat versat Isaiaꝝ locum: *Vagitu ad arma*
metij. *esset conuocaturus infans. & signum belli non tuba, sed*
crepitacilo daturus, nec ex equo, vel de muro, sed de
nutricis, & gerulae suae dorso, siue collo hostem designatu-
rus, atque ita Damascum, & Samariam pro mammis
subaturus. Infra ex propria sententia in spolijs Sama-
riae, Magos Reges agnoscit, quos Christus adhuc in-
fans vocat adorandus. Id ipsum Septimius, terque
quaterque Tullius illustrat ex eo Psalm. 44. Accinge
Psalm. 44. *re gladium tuum super femur tuum potentissime, specie*
tua, & pulchritudine tua intende prospere procede, &
Regna, propter veritatem, & mansuetudinem, &c. Quae
fatis accurè de Christo interpretatur infante, qui re-
cens natus, speciosus, mansuetus gladium potentissi-
mè accingit, & in totius Orbis expeditionem inté-
dit, vt regnet.

Chrysof. tom. Chrysofostomus hom. de Natiuitate Christi: *Deus,*
2. hom. de Na- inquit, *magnus, qui tanto tempore tonauit e caelo, & non*
tuit. Dimini. *saluauit, vagi, & saluauit. Vbi Deum inducit primo*
ab initio mundi nascens tot gentium supplicijs, tot
populi Israelitici sine manibus insignibus victoris
quondam praefurore ingentilitatem superintona-
tem, fulgurantem, quin gentes saluarit, & ad veri
Dei cultum adduxerit, tanto tempore tonauit e Cae-
lo, & non saluauit; deinde vero eundem considerat
carne indutum adhuc infantem, temporum iniurias
perperientem, vagientem, & vagientem, id tamen
agentem, vt ea ipsa infantilis mansuetudo, ea ipsa fit
lenitas efficax furor in gentes: Vagi, & saluauit.

D. Anton. 4. p. Ex D. Antonini Archiepiscopi Florentini Flori
tit. 1. cap. 31. *gero opere hunc libet opputare libareque florem*
Ipse est rex fortis, & potens contra antiquum hoste, no-

renascens demones prosternit inimicos. Quæ verba nostrum integrè exprimiunt, & aprimè discursum. Subdit Florentinus tantæ victoriæ figuram prætulisse id, quod legitur, 4. Reg. cap. 19. vbi superbus ille æquè ac bellipotens Senacherib numerosissimas Regni ducat militares copias, vexilla tremendus explicat, horrifono tympanorum strepitu insultantium militum clamoribus æthera complet, se se que ostentat, vel cælo ipsi minacem, Ierosolymam obsidet, illiusque iam iam misserrimum parat excidiū. Vbi Ezechias minimè tremebundus diuino frætus auxilio nullum vel leui manu belli curat apparatus, vbi factum est in nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorū, cumque diluculo surrexisset Senacherib, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit. Eadē ratione, inquit Florent. infans Christus in medijs tenebris copiosissimum Satanæ inuadit inopinatus exercitum, gentesque miserandas à dæmoniaca oppressione in omnino securam traducit libertatem.

Iam verò in huius rei confirmationem locum, in quo Christus nascitur contemplari lubet. Infantem in arce inexpugnabili muris ambactum, propugnaculis cinctum, ac circumualatum inuenio. Guilhelmus Cancellarius Paris. serm. 2. de Natiuit. *Diuersorium,* inquit, *dicitur platea inter duos muros, vbi in caserum non inuenientes hospitium. Quis non videat, non sicut diuino consilio tenerrimum infantem in platea nasci muris, ac turribus septa, vt scilicet, indicaretur in sua ipsa militare Natiuitate, Nemo enim miles (scribit Tertullianus ad Martiras) ad bellum cum delictis venit, ne: de cubiculo ad aciem procedit, sed de pationibus expeditis, atque substrictis, vbi omnis duri-*

Guilhelm. Cancell. Parisiensis.

Tertul. lib. ad Martyr. c. 3.

27
ia, & imbonitas, & insuauitas consistit. Propterea
Christus Rex adhuc infantulus nō regis domus de-
licias, nō lectulum molitie infantibus indulgentem;
arcis potius petit duritiem, nec niuium, nec frigorū
Hieron. in epis nudus expauescit iniurias. Si enim militem infantem
tol. ad Heliodo indelictijs videret natum, illum sic mundus auderet
rum. increpare, sicut alium Hieronymus ad Heliodorū:
Quid facis in paterna domo delicate miles, vbi vallū?
vbi fossa? vbi hyems acta sub pellibus. Ne ergo delica-
tum militem Christum infantem inertis, ac desidix
mundus argueret, adhuc paruulus sub aspera hye-
me, sub frigido Ioue extra ciuitatem, extra domum,
extra omnem molitiem, in arcis platea primam mi-
litarem degit infantiam.

Tantę rei vmbram agnosco ingentium illa mi-
nerua, enim vero illam confingit antiquitas ē Iouis
capite erumpentem, non prius tamen mundialem
lucem aspicientem, quam micantissimę galex, tho-
racis, clypei formidabili splendore fulgentem, non
prius paruam manum supra Iouis caput extendentē,
Vincētius Car quam in ipsa hastam mirabili dexteritate bibrantē,
thar. in Mi- vt videre licet in Imaginibus, quas Vincentius Car-
nerua. tharius Italus ab Antonio Verderio latinitate dona-
tus diligentissimē Collegit Id quod etiam lego in

Anachreos Od. Anachreonte Græco vate latinitate donato ab Hen-
penult. rrico Stephano, oda enim penultima sic canit:

Iouisque cum Minerua.

E vertice exiliuit.

Armata scuto, & hasta.

Hodie namque æterni Patris sapientia, quæ per infi-
nitas annorum myriades in paterna mente latuerat,
vbi primum in mundo carnem induta apparet redimē
do, non prius natam, quam armis ad bellum statim
ineundū

in eundem circumuestitam mireris, non prius natam quàm in ipso ortu sub puerili imbecillitate miraci fortitudine potentissimè instructam, utpote quæ in ortu ipso planè mirando, & arcem occupat, & se se in hostibus profligandis arripotentem ostentat,

Fortitudinem inuictam imbecillitatis tegmine sapientissimè obductam altissimo consilio, non aperto Marte in infantia patefaciendam decreuit, ut dæmoniaco exercitui debellantis virtus, & fortitudo plane diuina (ut apporthebat) in infantia non innotesceret. Huc respexisse opinor Isaiam c. 45. ubi interprete Forerio, Christum, in quo erat diuinitas abscondita, sic canit: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* Symmachus sic vertit: *Verè tu es fortis absconditus.* Quæ Isaiæ verba de Christo infante exponenda existimo, nec sine fundamento. Appellat nempe Isaias Christum recens natum Deum fortem absconditum, quoniam diuina fortitudo inimicis ocluta sub infantium membrorum tegmine latitabat.

Angelus Theologiæ D. Thomas 3. p. q. 35. art. 7. ex præcitate Isaiæ verbis probat, Christum infantem non debuisse pluribus manifestari, & reuelari. Eademque 3. p. q. 23. a. 1. ad 3. fatetur, quod licet aliquando dæmon Christum agnouerit, opportuisse tamen in infantia eius cognitionem impediri. Certè, certè in nulla alia occasione se se Christus ostendit fortè absconditum, fortem quidem se se ostendit, siue dæmonia è corporibus eijciendo, quæ tamen ipsum *filium Dei altissimi* conclamant Lucæ 8. siue ferreos inferni vestes confringendo, ubi tamen confringentis virtus dæmonibus manifestò innotuit. Solum in hoc primò nocturno cum dæmone congressu fortè

Psal. 17.

Isai. 5. nu. 16.

Micha. 5.

Isai. 5.

se se simul, & absconditum ostendit, ponit hic *tenebras latibulum suum*, solum modo demon virtutem experitur profligatus, infinitum profligatis valorem, profligantem Deū, ne agnoscat impeditur omnino. Hęc non leuiter iubant interpretationem, quę subdit Isaias: *Confussi sunt, & erubuerunt omnes simul abierunt in confusione fabricatores errorum*. Nam sicut fortitudo illa in cōfundendis his, quos dæmones agnosco, fabricatoribus errorum ostenditur, sic & respectu illorum intelligi debet absconditio, *fortis absconditus*. Elegantissimē itaq; confusi dicuntur, quod diuinationum errorū hac vsq; loquaces obmutescere omnino cogantur, vt infra probabo, nec tamē agnoscant imperantem, nec tamen agnoscant infantē:

Eandem occultam Christi infantis virtutē pręnuntiarat Michęas c. 5. dum post Christum recens in Bethleem natum sic scribit: *Quasi Leo, & quasi catulus Leonis*. Vbi primō Christum cum adulto leone formidabili ferocitate furenti, deinceps cū Leonis confert tenerrimo catulo imbecilli leunculo adulta fortitudine, dentibus, vnguibus omnino dearmato, ad matris vbera accurrenti, minimē ad prędā festināri, quoniā sub ea puerili, & tenera Christi infantis lenitate leonina ferocitas latitabat, vtpotē qui ingentes copias parua manu superabat. Huc spectant ea nostri thematis verba: *Voca nomē eius velociter spōtia de rabe, festina prędari*. Quia nempe mirandū est in Christo Domino, quod ad eō velox ad prędam festinatur, quod adultam non expectans fortitudinem statim natus, adhuc leunculus hostes dilaniarit.

Lubet semel audientes manuducere in Augustum illud Salomonis templū maiestate totę terrarū orbe celeberrimū, multi generi, grādiq; sacra suppeiectil-

con-

concinnū in modū opulescens. Aliorū oblitus tantū-
 modo Cherubinos illosē parietibus inter infestas pal-
 mas dexterrima structura eminentes, adolescentulo *3. Reg. 6.*
 in formā aprimē referentes indico visendos attēte,
 eorumq; obsecro significatiōē auseuletis insignē.
 Cōperio Doctores euoluens tēplum hoc Deo victo-
 ri, Christoq; victuro fuisse sacrū, Cherubinosq; illos
 hieroglyphica facie respexisse bellicos omnes Dei
 ministros per quos & quondam de hostibus in Da-
 uide triūphauerat, & deinceps in Christo erat glo-
 riosē triūphaturus. Quorsum sciscitor non Angeli,
 non Archangeli, nō alio cōlestis Hierarchiæ, quam
 Cherubini nomine insigniūtur. Dū hac agor dubita-
 tione, nominis *Cherub* Ethymō inquirō sollicitus, doc-
 tissimū inuenio recentiotē ex Hēbreis asseuerātem *Alcaç. Apic. 4.*
 nomen *Cherub* sonare: *quasi Filius Dei, quasi puer Dei.*
 Statim ac lego mihi tantæ rei sensum atq; mysteriū
 recōditū Emedulasse videor, nimirū opinor ad figu-
 randā incredibile atq; insuperabile ministrorū Dei
 virtutē, qua inermes omnino, ac viribus destituti tot
 insignes victorias, siue in lege veteri, siue in Euange-
 lica mytice reportarunt, nullū sanē aptius atq; ele-
 gantius potuisse depingi hieroglyphicum, quam iu-
 uenes quidam etate, ac viribus paruuli, eos Cherubi-
 nos pulchra cum allusione cōpellando, eo quōd re-
 cōditam sub imbecillitate virtutē, *quasi Filius Dei,*
quasi puer Dei, quasi Christus Filius Dei adhuc puer
 omni corporea virtute dearmatus in hostibus peni-
 tus profligandis ostenderint. Et quidem cum reli-
 qua Christi egregia facinora varijs sint in v̄plo illo
 figuris expressa, si hoc Christi recens nati egregium
 opus silentio omninō dicās obbolui, in exprimen-
 dis Christi victorijs symbolicæ structure apparatus

Alcaç. Apic. 4.
notat. 7.

triumphalis templi illius maiestas, & gloria magnæ ex parte defecisset, si vero in Cherubinis indicatam ad Christum adhuc infantem allusionem agnoscas, mea quidem sententia perfectissimo, atque exactissimo omnium Christi operum Hieroglyphico templum opulentas. Iuuat quod Christi victoriæ in templo illo sub Dauidis typo fuerint expressæ, qui primum triumphum de superbo Philistæo omnino inermis adhuc iubenis Egit. 1. Reg. c. 17. vbi ad rem nostram notatur Dauidem puerum esse Ephratæum, seu Bethleemiticum.

1. Reg. 17.

Lucæ 2.

Iam verò vocet sapientia ministros, & milites suos, vt veniant ad arcem. Lucæ cap. 2. dum Christi enarrat Natiuitatem sic scribit: *Et subito facta est cum Angelo multitudo militia cælestis.* Vbi Angelorum multitudinem bellico in hac occasione militiæ nomine insignit, non alia profecto ratione, nisi quia Angeli cælum inhabitantes in terram descendunt sub Christi infantis vexilo hostes deuelaturi. O res planè stupenda! videas omnes etiam supernas cælitum Hierarchias in numerosissimum agmen militari ordine conuenientes, videas supernos alitum principes, atque primates Christi vexila iterum explicantes, militares suæ dictionis copias conducentes, Empyream arcem supra cuius eleuatissimos muros futuri Christi sustulere atque fixere signa letabundi, omnino defertantes, pernici volatu Bethleemiticam Christi infantis arcem animosè petentes. Videas Christo in terris nato alitum choros, militum cohortes, videas triumphantis, atque cælestis Ierosolymæ gloriæ, Empyreæ maiestatem in terris militantem, omnem namque Angelorum multitudinem etiam supernorum in hac occasione Empyreum omnino dishabi-

esse nonnulli sapientissimo Theologo credibile est, *Suarez in ope*
 & ego id insinuatam suspicor ab Apostolo ad Heb. *re de Angelis,*
 ubi: *Omnes, inquit, sunt administratores spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutem, cum hic primo Christus in gentium libertatem* *lib. 6. c. 10. n. 47*
Ad Heb. 1.

dæmoniaci exercitus profligationem intendat.

Procedit iam militans alitum agmen de Bethleemica arce, Christique infantis Imperio atque virtute in dæmoniorum bellipotens irruit exercitum, fortiores Luciferi arces, gentium nempe inuadit oracula, ipsorumque obtrudit ora, ne amplius numerosam gentium seducant multitudinem, & in illis fraudulenter diuinum teneant Imperium, loquacium iam dæmoniorum caterua infanda strage victadat Christo terga, gentium namque oracula, idolorum diuinationes in Christi Natiuitate omnino cessasse aliquorum est sensus Doctorum. Nizephorus quidem lib. 19. *Forerius Isai.*
 Histor. cap. 17. narrat tempore Natiuitatis Christi Augustum Cæsarem Apollinis oraculum consuluisse, ipsoque confusè subticente silentij causam petijisse, sic Apollinem reddidisse. *Nizephorus.*

Me puer Hebreus Diuos Deus ipse gubernans.

Cedere sede iubet, triste mique redire sub orcum.

Aris ergo de hinc tacitis recedito nostris.

Origenes lib. 1. contra Celsum inquit, vnde Magi stellam nouerint Christum prænuntiasse, responderiq; magos vissa stella dæmonem, vt moris erat, de eius significatione consuluisse, ipsoque præter morem amano silente sibi persuasisse stellam alicuius principis potentioris dæmonibus, prænuntiam, proptereaque eam subsequutus. *Origenes.*

Iam ergo Christo nato fileas fileas in Dodona Iu-
 piter, fileas fileas in Lycia Apollo, obmutescere, obmu-
 tesce

Psal. 95.

Mach. 1. c. 1.

Isai. 14.

Isai. 14.

resce Iupiter Olympicus, obmutescere, siue Delphicus,
siue Milesius Apollo; taceas iam, taceas in Bruto La-
tona, *spomnes dy gentium damonia* Christo vero
Deo, & homine nato conticescant. Sileat infernum,
sileat omnis terra in conspectu eius, vt de belligero illo
Macedone Alexandro legimus Machab. 1. *Cōstituit*
pralia multa, obtinuit omnium munitiones, & interfecit
Reges terra, & per transijt vsque ad fines terra, & acce-
pit spolia multitudinis gentium, & siluit terra in conspec-
tu eius. Christo ergo gentium munitiones subuertē-
te, *Sileat omnis terra in conspectu eius*, sileat & infer-
num, tantummodò cœli, qui enarrant gloriam Dei
Christo nato eundem prædicent, prænuntiet Chris-
tū Magis stella, pastoribus Cœlites Christi notificēt
ortum. Tu Lucifer, tu Lucifer, qui Christo absente
non dum scilicet nato, sed nascituro, in primo illo
cum Michaele in Cœlo conflictu in Christi diuini-
tatem, eiusque adorationem loquacitate superbus
Sedebo, aiebañ, in monte testamenti, super astra Dei
exaltabo solium meum, iam non absente, sed præsen-
te Christo obmutescere, obmutescere profusus, aliquaq;
locuturus, quem suspicaris, quamuis non certò noue-
ris, verum Deum Christum confitearis oportet. Hæc
ergo à Christo nascēte ē regio folio Lucifero deiec-
to, *conquieuit, & siluit omnis terra*, vt in eodem Isate
capite post prostratum Luciferom sub figura Regis
Babilonici Dei populum subiugantis videre licet.

Huius Christi infantis cū Lucifero in medijs noc-
turnis tenebris conflictus figuram agnosco bellum
illud quod Michael furenti dextera in primordijs
mundi nascentis inter medias tenebras, antequam
visibilis lūcis, vel remississimus radius cœlos terras
ve collustraret, vt communis fert Theologorum
opinio.

opinio, futuri Christi virtute aduersus Luciferum
 in Cœlo gerebat, quoniam eadem belli ineundi
 causa exitit vtrobique, nempe Christi, vt veri
 Dei adorandi, & Luciferi in Deum superbientis
 profligandi, quam vtriusque conflictus similitudi-
 nem opinor indicatam à Paulo ad Heb. 1. *Cum ite-
 rum introducit primogenitum in orbem terre, dicit, vt
 adorent eum omnes Angeli eius.* Vbi duplicè Chris-
 ti in mundū ingressum inter se mira elegantia con-
 fert Apostolus: Primum quando Lucifero renuen-
 te, reuerente Michaelē in Cœlum introductus est,
 vt placuit Ruperto; Secundum quando Christus in
 terris primò infans apparet, vocatque Angelos ip-
 sum verum acclamatuos principem, Luciferum
 iterum in terris in Deum superbientem terris exter-
 minatuos, *cum iterum intoducit primogenitum.* Eius-
 dem allusionis, atque similitudinis rationem vali-
 de confirmo ea singulari, quod ad præfens attinet,
 Apocalypseos visione, cap. 12. vbi mulier illa Sole,
 Luna, & Stellis pulchrè circumuestita filium parit,
 in cuius partu Christi nostri infantis ortum grauis
 interpret Aretas agnoscit, vbi statim nato filio:
*Ecce Michael, & Angeli eius preliabantur cum dra-
 cone.* Quod portentum simul, & Angelorum de
 Christo adorando discordiam, & Christo recens
 nato eorundem cum dæmoniaco exercitu eadem
 de causa conflictum mira vtriusque inter se collu-
 sione opinor designasse. Iuuat quoque loci anallo-
 gia, etenim si primò Michael, & Lucifer in Cœlo
 discordant, modò etiam non in terra, in terra Cœ-
 lo potius, vt supra probaui, deprelantur. Imo, si
 mulier illa Cœlorum visibili, atque materiali glo-
 ria splendoreque conuestitur, vt pariat, Deipara
 D Virgo

*Cōmunis Theo-
 logorum opi-
 nio apud Sua-
 rium lib. 1. de
 Angel. cap. 3.*

Ad Heb. 1.

Rupertus.

Apocalyp. 12.

Aretas.

In salutatione.

Virgo Beatissima inuisibili cœlorum gloriainuisibiliter perfunditur, siquidem eius intellectum supernæ beatitudinis lux collustrat, ut Christum infantem in lucem visibilem edat.

Progreditur vterus militantium Angelorum copia, sub noctisque umbra Romam inuadit totius gentilitatis superbam Metropolim, totius idollolatrię munitissimam arcem, templum namque propter communem pacem erectum vbi Romuli Romani populi authoris simulacrū viseuatur, incredibili fragore hac nocte Natiuitatis corruisse, ingenti strepitu, Roma tonante, procubuisse scribit Antoninus ex Innocentio III. Certè Romulo Romanorum authore, vniuersę idollolatrię capite è fictę diuinitatis throno in terram ignominiose deiecto, Christus infans vniuersę ostendit gentilitati, se eius præsidia, munitiones, arcem, Imperium, venisse subuerfurum, cum Romani appetè Romulum è sede miserimè depositum id videant, videant præsentem. Statim ac nascitur Christus verus Deus homo in illius intendit depositionem qui verus homo deinceps in Deum translatus etiam à sapientibus venerabatur, credebatur, quod in Romulo mirandum fuisse notat ex Cicerone August. lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 6. statim ac nascitur Christus Deus fortis absconditus primò fortitudinem ostendit in proculcando Romulo apud Romanos Deo abscondito, illiusque fictę diuinitate prodenda, exitit namque apud Romanos Romuli templum omni tempore clausum, quod nunquam pateferi de-
cruit, in quo sepulti Romuli cineres occulto consilio signabantur, cuius rei rationem sic reddidit Alexander ab alexand. lib. 1. Genial. capit. 54. Quasi

*D. Anton. Ap.
lib. 15. c. 31.*

*D. August. ex
Cicerone.*

Alex. ab Alex.

*arcantum haberi vellent, an humo sectus, an inter di-
nos fuerit relatus.*

Intueor Romam de propria salute, propriique Imperij duratione plus æquo sollicitam, templum namque prædictum propter communem pacem erexit, Romuloque sacrauit, vt ab eo primò enati Imperij durationem, propagationem atque stabilitatem impetraret. Hanc Romæ sollicitudinem mu-

ra elegantia descriptam opinor ab Isai. cap. 21. vbi *Isaia 21.*
sub Idumææ specie Romam agnosco, nec omninò

sine duce, Arias enim Montanus in Idumæa Romam figurari adstruit, dum cap. 34. eiusdem Isaiæ exponit, nimirum, eo quod sicut Idumæa populo Israeli, sic Roma ethnica Christiano populo se se

Arias Montanus ad cap. 34. Isaiæ.

opposuerit. Videt ergo Isaias Romam adeò de proprij principatus duratione sollicitam, vt supra cingentes muros excubias indixerit, perui-gilesque custodes, atque speculatores diligentissime distribu-erit, vt tanquam ex specula prospèctent, an properet Christi Natiuitatis nox, quam pertimescebat fatalem, vtpote in qua eius Imperij subiugatio, eius Principis depositio esset inchoãda. Romanos ergo Isaias inducit sic à Custodibus sollicitè inquirentes:

*Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Properat ne nox illa, in qua nostri Imperij imminet sine dubio subuersio? prospèctare insomnij, atque perui-giles an imminet à longe, an iam iam properet, prospèctate. Inducit custodes responde res: Venit mane & nox, si queritis quarite, conuertimini, & re-
nite. O Romani super proprij Imperij durationem solliciti, iam iam properantem respicimus noctem illam, in qua vestrum erit Imperium extinguendũ, vtrã gloria, opulèntia, atq; maiestas obscurãda,*

sed tamen exite alacres, alacres exite obuijs vlnis
 fulcipere noctem, quoniam quam noctem vellri
 splendoris atram timebatis ecclypsim, manè vide-
 demus, nouum solem speculari, nouo micantif-
 sinæ lucis splendore vestrum Imperium illumi-
 nantem, vestrum namque ethnicum Imperium
 propter noctem istam in sælicem gloriam in Au-
 gustiorem, Christianum nempe desinet principa-
 tum. *Si queritis, querite*, O Romani, si Imperium
 gloriosumque principatum toto orbe celeberrimū
 in Roma satagitis æternandum, satagite, satagite,
 nouum suspicite Imperium ethnico capite deiec-
 to, Christum plaudite principem, cuius si in Roma
 fixeritis sedem nulla temporum vicisitudo vestro
 imminere audebit Imperio, quod totum vltima
 expriment custodum verba: *Conuertimini, &
 venite.*

Opponat tamen aliquis nostro nascenti bellige-
 ro infanti eundem in præsepio lachrymantē, eun-
 dem in Aegyptum Herodis furorem aufugientē,
 quæ strenuissimum ducem armis instructum infi-
 nita in Luciferum potentia furentem prorsus de-
 decere videntur. Sed quid si totius orbis inuictif-
 simum ducem tibi non dissimili ratione lachrymo-
 sum ostendero! Scribit Plutarchus in Alexandro
 Philosophum quendam coram eodem Macedo-
 ne plures existere mundos, quos non nouimus, so-
 luris aliorum arguētis defensasse, Macedonem-
 que in domum reuersum throno insidentem largi-
 ter in lachrymas profussum. Mirande in inuictif-
 simo duce teneritatis, atque imbecillitatis rationē
 regni proceres, atque primates petiisse, eundem sic
 reddidisse: suus alios existere mundos, eo quod
 vnum

num tantum meo subiugarim Imperio, cum
 omnium, viresque fortium, quibus plures alios faci-
 le subagere possem tenerrime desseo. Non dis-
 simili, etsi altiori sine dubio ratione dicere audeo,
 nostrum omnipotentem Alexandrum lacrymulas
 profundere, quia nempe cum hic ipse labor frigus
 perpetiendi, temporum iniurias tollerandi infini-
 tos posset subagere mundos, vnum tantum inue-
 niat, quem suo Imperio subijciat; quia cum infini-
 tos homines posset e doemoniaca tyranyde in fœ-
 licissimam libertatem afferere, paucos admodum
 creavit, quos possit in libertatē traducere. O Chris-
 ti infantis inuictissima imbecicillitas! o animosa te-
 neritas! o puerilis fragilitas inexpugnabilis!

Fuge verò suspicari, Christum in AEGYPTUM
 pro timore festinantem, potius namque videas
 Herodem Christi infantis virtutem pertimescen-
 tem, audito enim regum clamore Christum in-
 fantem conquirentium *turbatus est Herodes rex,* &
venit Ierosolyma cum illo, quia *superbos reges cuncta*
terrebat infantis, vt prædicat Augustinus à Diuo
 Thoma allegatus, 3. part. quæst. 36. art. 2. ad 3. apud
 quem ad rem nostram Diuus Leo in Herode doe-
 monem pauidum agnoscit; *non tam Herodes turba-*
batur in se metipso, quantum in Herode diabolus. Fu-
 ge ergo non timescentis est Laciferum in Hero-
 de furentem, sed strenuissimi ducis Luciferi poten-
 tiam deludentis, bellicoque stratagemate, occulto
 consilio in eius profligationem intendentis. Ere-
 mita Christum infantem in AEGYPTUM transfugien-
 tem, à quo veri Deicultus longe exularat, omnia
 idolla concussisse, ac velut proculcasse se sentire
 Hieronymus, Chrylostomus, Cyrillus, Bernard.

Matth. 2.
D. August.
D. Thom.
D. Leo.

Apud Gaspa-
rem Sanch. in
Isai. 19.

& alii Isaiam allegantes præcipientem, capit. 19.
Ingreſſetur in Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius. Sinit ergo Chriſtus Luci-
 ferum in pueros maſtandos intendere, quorum
 copia exercitui Chriſti parum intererat militanti,
 vt ſic aduerſario in Ieroſolymam diſtracto, in
 Aegyptiacum ipſius exercitui omnium copioſio-
 rem, ac potentiorem ingenti clade irruat inopinatus,
 non quia dæmoniacy exercitus Luciferi ve ſa-
 uientis pertimeſcat potentiam, ſed quia in infantia
 dum virtutem ſub infantili imbecillitate ſapientif-
 ſimè occludit, occultum, non apertum, Deus ab-
 conditus martem agit: *Dexa Chriſto infante, que Lu-
 cifer en Herodes haga empleo de ſus fuerças, y ſe di-
 uierta en embestir a una compañía de Infanteria, que
 importaua poco en el exercito de Chriſto para aſſi di-
 uertido el enemigo darle la batalla con la caualleria
 del Cielo por la parte que mas fuerças moſtraua.*

Habaac. c. 3.

Denique oportet proſtato Lucifeto Chriſtum
 infantem triumphali curru, glorioſaque maieſtate
 per totum orbè circūuectum inducere. Triumphū
 canit Hōbacuc cap. 3. ſuo ue illo dulciſono cantico,
 cuius aliquor carmina de Chriſto infante inter-
 pretati ſumus: *Ante faciem eius ibit mors, & egredie-
 tur diabolus ante pedes eius.* Quæ verba hunc opi-
 nor poſſe capere ſenſum noſtro diſcuſui aptiſſi-
 mum: Lucifer catenis vinctus ſub Chriſti infantis
 pedibus ſubiugata ceruice iacet, quoniam ab eo-
 dem glorioſè ſubagitur, mors verò non catenis
 ad currum ligatur, ſed potius inter triumphalem
 maieſtatem, glorioſamque triumphi pompam
 Chriſtum præcedit infantem, *ante faciem eius ibit
 mors*, quoniam Chriſtus infans non dum agit de
 morte

morte triumpham, sed potius propterea prosternit
 Luciferum, quia in hac prima sua perpesti laboris
 operatione mortem ante faciem praeuentem res-
 picit, infantile enim opus Pater aeternus ad victo-
 riam de Lucifero acceptat, quia mortem prospec-
 tat: *Antefaciem eius ibit mors, & egredietur diabo-
 lus ante pedes eius.* Christe ergo, qui recens natus
 vincis, & triumphas, nostra recens natus
 crimina vince, largire in hoc saeculo
 gratiam, & in futuro
 gloriam.

D I X I.



